

scientia? Resp. (1) quod, si ignorantia vel error sit vincibilis & res per se bona, quam prohibet hæc conscientia, vel mala, quam præcipit & faciendam dicit, ita ad agendum obliget hæc conscientia, ut homo peccet, si-ve juxta, si-ve contra eam agat: e. g. si Judæus persuasus sit animo suo, datâ occasione à se defraudandum esse Christianum, est erronea conscientia, quæ dicit id, quod per se malum est, esse faciendum, ignorantia & error est vincibilis: hæc conscientia & judicium intellectus obligat Judæum ad agendum id, quod præscribit, quia putat bonum esse, quod dicit conscientia, peccat tamen si-ve agat secundum hanc conscientiam, si-ve contra eam: Peccat si secundum eam agit, quia agit id, quod jure divino & humano prohibitum est: peccat etiam, si contra eam agat, & non defraudet Christianum, quia licet non-defraudatio non sit peccatum in se, hic tamen induit rationem peccati ex erroneo judicio agentis, qui eam pro peccato habet, & tamen voluntas ejus in eam fertur.

§. 18. Resp. (2) Si ignorantia & error fuerit invincibilis, aut res per se indifferens, conscientia errans obliget hominem, ut peccet, qui contra eam facit, non verò qui juxta eam agit. Potest res declarari exemplo, & quidem de errore invincibili: Deus in V. T. *Deut. 23. 18.* legem dederat talem: *Non inferes in domum Jehovæ DEI tui, & ad cultum divinum mercedem scorti, aut pretium canis, i. e. pueri meritorii, quò abutebantur ad peccatum Sodomiticum.* Si jam contigit, ut talis merces, si-ve hujusmodi turpe pretium hæreditate ad aliquem ex Judæis pervenerit, qui ignoravit turpem illum mercedis acquirendæ modum, nec scire eum potuit, & dicitur ei conscientia, de tali mercede & pretio aliquid ad cultum Dei adhibendum, & in domum Jehovæ inferendum esse, fuit conscientia errans, dicitur enim faciendum esse, quod lege Dei, *Deut. 23. 18.* prohibitum fuit, sed error fuit invincibilis, conscientia igitur obligavit Judæum, ut peccaverit, si contra eam fecit, & nihil de tali mercede vel pretio attulit in domum Dei; non verò peccaverit, si de tali pretio turpi aliquid in domum Dei attulit.

§. 19. Exemplum, si res fuerit per se & suâ naturâ indifferens, potest tale esse: Fit, ut Judæo conscientia dicit, hodie non vescendum esse carne suillâ, conscientia est erronea, & provenit ex ignorantia, quod ignorat, vel non credit, leges ceremoniales V. T. hodiè abrogatas esse: obligat hæc conscientia Judæum, ut, si contra eam agat, & carne suillâ vescatur, peccet, quæ licet carne suillâ vesci in se non sit peccatum, nihilominus à Judæo pro peccato habetur, & tamen voluntas ejus in illud